sit functio algebraica ipsius t, quae sit T, ita ut habeatur

$$\int dP^{\frac{n+1}{n-m}} dQ^{\frac{m+1}{m-n}} = T$$

atque formulae reducendae fient:

$$\int z^{m+1} dT = z^{m+1} T - (m+1) \int T z^m dz$$

$$\int z^{n+1} dT = z^{n+1} T - (n+1) \int T z^n dz.$$

algebraicos obtinere debeant, hoc per problema quartum duplici mod
r.

COROLLARIUM 1

Patet ergo primo, si fuerit vel $m = -1$ vel $n = -1$, reductionem
hodum propositam perfici non posse. Praeterea vero eam quoque locum
ere, nisi formula differentialis

$$dP^{\frac{n+1}{n-m}} dQ^{\frac{m+1}{m-n}}$$

fuerit integrabilis.

COROLLARIUM 2

Quodsi fuerit $m = n$, dummodo utriusque litterae valor non sit $= -1$
ri transformatione non erit opus, sed formulae $\int x^{n+1} dP$ et $\int x^{n+1} dQ$ in
ope problematis quarti reduci poterunt.

EXEMPLUM

Quaeratur relatio algebraica inter x et y, ut hae formulae

$$\int \frac{y^3 dx}{xx} \quad et \quad \int \frac{dx}{x^3}(xx + yy)^{\frac{3}{2}}$$

lgebraicos obtineant.
a hic sit

$$V = \frac{y^3}{xx} \quad \text{et} \quad Z = \frac{1}{x^3}(xx + yy)^{\frac{3}{2}},$$

ergo functio V et Z homogenea, illiusque dimensionum numerus
huius vero $n = 0$, si ponatur $y = tx$, fiet

$$V = xt^3 \text{ et } Z = (1 + tt)^{\frac{3}{2}},$$

lae reducendae erunt

$$\int t^3 x dx \quad \text{et} \quad \int dx\,(1 + tt)^{\frac{3}{2}},$$

$$\int t^3 x dx = \tfrac{1}{2} t^3 xx - \tfrac{3}{2} \int x^2 tt dt$$

$$\int dx\,(1 + tt)^{\frac{3}{2}} = x\,(1 + tt)^{\frac{3}{2}} - 3 \int xt dt \sqrt{(1 + tt)}.$$

fietque

$$\int x^2 tt dt = \int zz dt (1 + tt) = zz (t + \tfrac{1}{3}t^3) - 2 \int (t +$$

$$\int xt dt \sqrt{(1 + tt)} = \int z dt (1 + tt) = z (t + \tfrac{1}{3}t^3) - \int ($$

Sit brevitatis gratia

$$t + \tfrac{1}{3}t^3 = u,$$

et cum formulae reducendae sint $\int uz dz$ et $\int u dz$, ponatur

$$\int uz dz = L \quad \text{et} \quad \int u dz = M$$

fiet

$$u = \frac{dL}{z dz} = \frac{dM}{dz},$$

ideoque

$$z = \frac{dL}{dM}.$$

Si igitur L et M fuerint functiones quaecunque novae cuiu
aequatio $z = \frac{dL}{dM}$ dabit functionem ipsius s pro z, unde etiam

$$u = t + \tfrac{1}{3}t^3 = \frac{dM}{dz}$$

dabitur per s; ac propterea pro t reperitur hinc valor in s c
porro dabitur per s variabilis $x = \frac{z}{t} \sqrt{(1 + tt)}$ et $y = tx$, u
et y definiri poterit.

Altera solutio posito

$$\int u dz = L$$

dabit

$$\int uz dz = \int z dL = zL - \int L dz.$$

Sit

$$\int L dz = S$$

existente S functione quacunque ipsius z, fiet

$$L = \frac{dS}{dz};$$

enuo relatio inter x et y reperitur. Nam ob

$$t = \frac{y}{x} \quad \text{et} \quad z = \frac{xy}{\sqrt{(xx + yy)}}$$

res in aequatione

$$\frac{dL}{dz} = \frac{ddS}{dz^2} = \frac{3xxy + y^3}{3x^3}$$

ti dabunt aequationem inter x et y.

PROBLEMA 9

Si V et Z fuerint ut ante functiones homogeneae ipsarum x et y, ill
m, haec vero n dimensionum, invenire relationem algebraicam inte
ut hae duae formulae $\int V dx$ et $\int Z dy$ fiant integrabiles.

SOLUTIO

natur ut ante $y = tx$, fietque $V = x^m P$ et $Z = x^n Q$ existentibus P e
ionibus novae variabilis t, et ob $dy = tdx + xdt$ formulae reducenda

$$\int P x^m dx = \frac{1}{m+1} P x^{m+1} - \frac{1}{m+1} \int x^{m+1} dP$$

$$\int Q x^n dy = \int Q x^n t dx + \int Q x^{n+1} dt;$$

$$\int Q t x^n dx = \frac{1}{n+1} Q t x^{n+1} - \frac{1}{n+1} \int x^{n+1} (Qdt + tdQ),$$

abebimus:

$$\int Q x^n dy = \frac{1}{n+1} Q t x^{n+1} - \frac{1}{n+1} \int x^{n+1} (tdQ - nQdt).$$

adeo formulae ad valores algebraicos perducendae erunt

$$\int x^{m+1} dP \quad \text{et} \quad \int x^{n+1} (tdQ - nQdt),$$

onendo

$$x = \left(\frac{tdQ - nQdt}{dP}\right)^{\frac{1}{m-n}} z$$

$$\left(\frac{tdQ - nQdt}{dP}\right)^{\frac{\quad}{m-n}} dP$$

fuerit integrabilis.

Ubi quidem iterum excludendi sunt casus, quibus v
$n = -1$; praeterea vero notandum est, si sit $m = n$, tum ul
tione ne opus quidem esse, quia formulae $\int x^{m+1} dP$ et $\int x$
statim per problema quartum reduci possunt.

SCHOLION

43. Atque hi sunt fere casus, quibus duae formulae integr
ad valores algebraicos methodo quidem adhuc exposita reduci
autem est dubium, quin haec methodus ad maiorem per
evehi possit, ut etiam formulae hic exclusae ad valores a
queant, quod negotium aliis uberius excolendum relinquo. Co
potissimum casus harum formularum

$$\int \frac{y\,dx}{x} \text{ et } \int \frac{yy\,dx}{x},$$

quas generatim quidem nullo adhuc modo ad integrabilitate
etsi non est difficile innumeras relationes inter x et y exhiber
satisfaciant. His igitur regulis pro duabus formulis prim
contentus, ad tres pluresve formulas eiusdem ordinis progred
turus casus, quibus omnes simul methodo hactenus exposita
braicos reduci queant, quod quidem ea methodo, qua in s
problematis 4 sum usus, praestari debere animadverto.

PROBLEMA 10

44. Si P, Q, R sint functiones quaecunque algebraicae
relationem algebraicam inter variabiles x et y, ut tres hae fo

$$\int yP\,dx, \quad \int yQ\,dx, \quad \int yR\,dx$$

valores algebraicos obtineant.

SOLUTIO

Ponatur

$$\int yP\,dx = L$$

c

$$y = \frac{dL}{P\,dx},$$

duae reliquae formulae reducendae fient:

$$\int yQ\,dx = \int \frac{Q}{P}\,dL = \frac{LQ}{P} - \int L\,d\cdot\frac{Q}{P}$$

$$\int yR\,dx = \int \frac{R}{P}\,dL = \frac{LR}{P} - \int L\,d\cdot\frac{R}{P}\,.$$

ero hae duae formulae

$$\int Ld\cdot\frac{Q}{P} \quad \text{et} \quad \int Ld\cdot\frac{R}{P}$$

roblema quartum facile resolvuntur, idque duplici modo.

. Priori modo poni oportet:

$$\int Ld\cdot\frac{Q}{P} = M \quad \text{et} \quad \int Ld\cdot\frac{R}{P} = N,$$

ue erit:

$$L = dM : d\cdot\frac{Q}{P} = dN : d\frac{R}{P}\,.$$

elicitur aequatio

$$\frac{d(Q:P)}{d(R:P)} = \frac{dM}{dN},$$

primum membrum cum sit functio ipsius x, pro M et N capian ones novae variabilis z, atque per hanc aequationem x definietur i ssum, unde porro per z dabitur

$$L = \frac{dM}{d(Q:P)} \quad \text{et} \quad y = \frac{dL}{P\,dx}.$$

I. Posteriori resolutione utentes ponamus

$$\int Ld\cdot\frac{Q}{P} = M \quad \text{ut sit} \quad L = \frac{dM}{d(Q:P)},$$

alor in tertia formula substitutus producet

$$\int Ld\cdot\frac{R}{P} = \int dM\cdot\frac{d(R:P)}{d(Q:P)} = M\,\frac{d(R:P)}{d(Q:P)} - \int Md\cdot\frac{d(R:P)}{d(Q:P)}.$$

ur ergo

$$\int Md\cdot\frac{d(R:P)}{d(Q:P)} = N$$

$$M = \qquad d\cdot\frac{d(R:P)}{d(Q:P)},$$

unde pro M invenitur functio ipsius x, qua inventa erit

$$L = \frac{dM}{d(Q:P)}$$

ac denique $y = \frac{dL}{Pdx}$. Tum vero valores algebraici trium formular
sitarum erunt:

$$\int yPdx = L$$

$$\int yQdx = \frac{LQ}{P} - M$$

$$\int yRdx = \frac{LR}{P} - M\frac{d(R:P)}{d(Q:P)} + N.$$

COROLLARIUM 1

45. Cum in priori solutione pro litteris M et N functiones q
ipsius z accipi queant, si iis valores transcendentes tribuantur, ita
$\frac{dM}{dz}$ et $\frac{dN}{dz}$ fiant functiones algebraicae, effici poterit, ut trium fo
integralium propositarum duae $\int yQdx$ et $\int yRdx$ a datis quadraturis
Quod etiam per problema 2 ita expediri poterit, ut utraque tot qu
casibus nihilominus valores algebraicos adipiscatur.

COROLLARIUM 2

46. Sin autem solutionem posteriorem adhibeamus, quoniam u
N arbitrio nostro relinquitur, si pro ea functio transcendens ipsius x
unius tantum formulae propositae integratio datam quadraturan
reliquae vero duae necessario valores algebraicos obtinebunt.

COROLLARIUM 3

47. Patet etiam, si Y fuerit functio quaecunque ipsius y, simil
tres formulas:

$$\int YPdx, \quad \int YQdx, \quad \int YRdx$$

PROBLEMA 11

48. Si P, Q, R fuerint functiones quaecunque algebraicae variabil
venire relationem algebraicam inter x et y, ut hae tres formulae integr

$$\int P dy, \quad \int Q dy, \quad \int R dy$$

lores algebraicos obtineant.

SOLUTIO

Formulae istae per lemma praemissum transformantur in sequentes:

$$\int P dy = Py - \int y dP$$
$$\int Q dy = Qy - \int y dQ$$
$$\int R dy = Ry - \int y dR.$$

uaestio ergo redit ad has tres formulas:

$$\int y dP, \quad \int y dQ, \quad \int y dR$$

gebraicas efficiendas, quae cum similes sint iis, quae in problemate praeced
nt tractatae, resolutio nullam habebit difficultatem, atque adeo du
odo absolvi poterit.

COROLLARIUM 1

49. Quin etiam si ordo inter has formulas immutetur, quoniam per
t a quanam earum operatio incipiatur, novem omnino solutiones exh
ssunt. Incipiendo enim a prima ponendo $\int y dP = L$, solutio prior
udita unam praebet solutionem, posterior vero duas, prout duae reli
rmulae sumuntur, vel $\int y dQ$ et $\int y dR$, vel ordine inverso $\int y dR$ et $\int$
.que hinc tres solutiones impetrantur. Atque cum operatio a quilibet ha
rmularum incohari queat, omnino novem solutiones exhiberi poterunt.

COROLLARIUM 2

50. In hac ergo methodo perinde est, sive formula quaepiam proposit
$\int P dx$ sive $\int P dy$, quia posterior $\int P dy$ facile ad formam prioris $\int y dP$
tur. Hincque inposterum nullum amplius discrimen inter duas huius
rmulas constituam, ne praeter necessitatem hanc tractationem prolixi
ddam.

vel $\int yPdx, \quad \int yQdx, \quad \int Rdy$

vel $\int yPdx, \quad \int Qdy, \quad \int Rdy.$

Superfluum ergo foret diversa hinc problemata constituere.

PROBLEMA 12

52. Ad valores algebraicos reducere quatuor huiusmodi formulas in

$$\int yPdx, \quad \int yQdx, \quad \int yRdx, \quad \int ySdx,$$

in quibus litterae P, Q, R, S denotent functiones quascunque alg
ipsius x.

SOLUTIO

Incipiatur operatio a quacunque harum quatuor formularum
sitarum, ponendo

$$\int yPdx = L,$$

ut sit

$$y = \frac{dL}{Pdx},$$

atque tres reliquae formulae transformabuntur sequenti modo:

$$\int yQdx = \int \frac{Q}{P}dL = \frac{LQ}{P} - \int Ld\cdot\frac{Q}{P}$$

$$\int yRdx = \int \frac{R}{P}dL = \frac{LR}{P} - \int Ld\cdot\frac{R}{P}$$

$$\int ySdx = \int \frac{S}{P}dL = \frac{LS}{P} - \int Ld\cdot\frac{S}{P}.$$

Cum igitur nunc ad valores algebraicos reducendae sint hae tres f

$$\int Ld\cdot\frac{Q}{P}, \ \int Ld\cdot\frac{R}{P}, \ \int Ld\cdot\frac{S}{P}$$

haeque congruant cum iis, quae in problemate 10 sunt pertractatae,
erit in promtu; et quoniam hic novem diversae solutiones suppe
totidemque reperiantur, a quanam alia quatuor formularum prop
initium capiatur, omnino huius problematis quater novem, seu 36 s
exhiberi poterunt.

...atura pendere debeat, ea in operatione ad finem usque est reservan...
...od 12 modis diversis fieri potest. Sin autem duae formulae datae, vel

$$\int yRdx \quad \text{et} \quad \int ySdx,$$

...is quadraturis pendere debeant, hoc nonnisi duobus modis diver...
...abitur.

COROLLARIUM 2

...54. Hinc etiam patet, eundem solvendi modum ad quinque, pluresq...
...quot proponantur, similes formulas extendi, dummodo quaelibet form...
...t speciem

$$\int yPdx \quad \text{vel} \quad \int Pdy,$$

...ente P functione ipsius x, ita ut in singulis formulis altera variabilis
...si unicam obtineat dimensionem.

COROLLARIUM 3

...55. Quemadmodum in casu duarum huiusmodi formularum propositar...
...ri possunt 3 solutiones et in casu trium formularum 9 solutiones; sic...
...4 formularum inveniuntur $4 \cdot 9 = 36$ solutiones. Atque porro in ca...
...nularum $5 \cdot 36 = 180$ solutiones, in casu 6 formularum $6 \cdot 180 = 10$...
...ones, et ita porro.

PROBLEMA 13

...56. Si propositae fuerint quotcunque huiusmodi formulae integrales

$$\int Zdx \quad \text{vel} \quad \int Zdy,$$

...ibus omnibus Z sit functio homogenea ipsarum x et y, et in singulis id...
...nsionum numerus n deprehendatur; invenire relationem algebraic...
...x et y, ut singularum harum formularum valores prodeant algebraici.

SOLUTIO

...um Z sit functio homogenea n dimensionum ipsarum x et y, si pona...
...x, ea transibit in huiusmodi expressionem $x^n T$, existente T functio...
...am ipsius t tantum; ideoque quaelibet formula huius generis $\int Z$...
...itur sequenti modo:

$$dy = tdx + xdt$$

formulae huius generis

$$\int Zdy$$

simili modo transformabuntur:

$$\int Zdy = \int Tx^n(tdx + xdt) = \int x^{n+1}Tdt + \int T$$

at

$$\int Ttx^n dx = \frac{1}{n+1}Ttx^{n+1} - \frac{1}{n+1}\int x^{n+1}(Tdt -$$

unde fiet

$$\int Zdy = \frac{1}{n+1}Ttx^{n+1} - \frac{1}{n+1}\int x^{n+1}(tdT -$$

Quare quotcunque proponantur formulae integrales, vel $\int Zdy$ speciei, quaestio revocabitur ad totidem formulas is

$$\int x^{n+1}\Theta dt,$$

existente Θ functione ipsius t, quae posito $x^{n+1} = u$ aboun

$$\int u\Theta dt.$$

Quotcunque autem huiusmodi formulae $\int u\Theta dt$ fuerint per praecepta hactenus tradita ad valores algebraicos re

COROLLARIUM 1

57. Excipi tamen debent ii casus, quibus functionu sionum n est $= -1$, seu $n + 1 = 0$, quoniam his ca adhibitae non succedunt.

COROLLARIUM 2

58. Patet etiam, quaecunque et quotcunque fuerin dummodo eae omnes per substitutionem aut transformu huiusmodi formas $\int u\Theta dt$ reduci queant, eas omnes reddi posse.

SCHOLION

59. Vis igitur methodi hactenus expositae in hoc proponantur formulae integrales duas variabiles x et y

singulis altera variabilis y unicam obtineat dimensionem eiusve differen
reductio ad valores algebraicos semper perfici queat; hoc ergo even
gulae formulae fuerint vel huius generis $\int yXdx$, vel huius $\int Xdy$, propt
od huius integratio revocatur ad hanc $\int ydX$, siquidem X sit functio q
nque ipsius x. Atque hi sunt casus, quibus duas pluresve formulas integ
mi ordinis mihi quidem adhuc ad valores algebraicos reducere con
ntur vero etiam formulae secundi superiorumque ordinum, quas facil
mulas primi ordinis formae $\int yXdx$ reducere licet, ex quo, si eiusmodi
lae integrales superiorum ordinum occurrant, resolutio problematum
us allatorum perinde succedet. Eas igitur formulas superiorum ordi
e huiusmodi reductionem admittunt, hic indicari conveniet.

PROBLEMA 14

60. Si P sit functio quaecunque ipsius x elementumque dx sum
nstans, reducere integrationem huiusmodi formularum integralium

$$\int\frac{Pddy}{dx},\quad \int\frac{Pd^3y}{dx^2},\quad \int\frac{Pd^4y}{dx^3}\quad \text{et in genere huius}\quad \int\frac{Pd^ny}{dx^{n-1}}$$

integrationem formulae primi ordinis huiusmodi $\int yQdx$, existente Q f
ne ipsius x.

SOLUTIO

Consideretur formula prima eaque per lemma ita reducetur:

$$\int\frac{Pddy}{dx}=\frac{Pdy}{dx}-\int dy\cdot\frac{dP}{dx}\quad \text{at}\quad \int dy\cdot\frac{dP}{dx}=\frac{ydP}{dx}-\int\frac{yddP}{dx};$$

que erit:

$$\int\frac{Pddy}{dx}=\frac{Pdy}{dx}-\frac{ydP}{dx}+\int\frac{yddP}{dx}.$$

$\frac{ddP}{dx}$ est expressio differentialis formae Qdx, ideoque formula $\int\frac{Pddy}{dx}$ red
ad formulam $\int yQdx$.

Simili modo formula secunda reducitur:

$$\int\frac{Pd^3y}{dx^2}=\frac{Pddy}{dx^2}-\int\frac{dPddy}{dx^2};$$

$$\int\frac{dPddy}{dx^2}=\frac{dPdy}{dx^2}-\frac{yddP}{dx^2}+\int\frac{yd^3P}{dx^2},$$

ubi $\int \frac{y d^3 P}{dx^2}$ est iterum formae $\int yQdx$.

Pro tertia formula proposita erit:

$$\int \frac{P d^4 y}{dx^3} = \frac{P d^3 y}{dx^3} - \int \frac{dP d^3 y}{dx^3};$$

at per reductionem praecedentem

$$\int \frac{dP d^3 y}{dx^3} = \frac{dP\, ddy - dy\, ddP + y d^3 P}{dx^3} - \int \frac{y d^4 P}{dx^3};$$

ergo

$$\int \frac{P d^4 y}{dx^3} = \frac{P d^3 y - dP\, ddy + dy\, ddP - y d^3 P}{dx^3} + \int \frac{y d^4 P}{dx^3}$$

ubi iterum $\int \frac{y d^4 P}{dx^3}$ est formae $\int yQdx$.

Hinc colligitur fore ulterius progrediendo:

$$\int \frac{P d^5 y}{dx^4} = \frac{P d^4 y - dP d^3 y + ddP\, ddy - dy d^3 P + y d^4 P}{dx^4} -$$

unde etiam generatim patet, hac ratione istius formulae $\int \frac{P d^n}{dx^{n-}}$

reduci ad integrationem huius formulae $\int \frac{y\, d^n P}{dx^{n-1}}$, foreque semp

sionem huius formae $\int yQdx$, est enim $\frac{d^n P}{dx^n}$ functio algebraica i

loco si ponatur Q erit

$$\frac{d^n P}{dx^{n-1}} = Q dx.$$

COROLLARIUM 1

61. Omnes ergo reductiones, quae supra circa formulas h sunt exhibitae, eodem succedunt modo, si huiusmodi f proponantur; unde opus non est problemata praecedentia formulis altiorum ordinum resolvere.

52. Si expressio $\frac{\ }{dx^n}$ evanescat, id erit indicio, formulam $\int\frac{P\ }{dx^n}$
absolute integrabilem; ea ergo his casibus in nostris problematibus locum
habebit. Hoc autem evenit, si P fuerit ipsius x huiusmodi functio

$$P = \alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3 + \ldots + \mu x^{n-1}$$

tum enim $\int\frac{P d^n y}{dx^{n-1}}$ integrationem absolute admittet.

COROLLARIUM 3

63. Formulae ergo integrabiles cum suis integralibus erunt pro
ipsius n valoribus sequentes:

$$\int \alpha dy = \alpha y$$

$$\int\frac{(\alpha + \beta x)ddy}{dx} = (\alpha + \beta x)\frac{dy}{dx} - \beta y$$

$$\int\frac{(\alpha + \beta x + \gamma x^2)d^3y}{dx^2} = (\alpha + \beta x + \gamma x^2)\frac{ddy}{dx^2} - (\beta + 2\gamma x)\frac{dy}{dx} + 2\gamma y$$

$$\int\frac{(\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3)d^4y}{dx^3} = (\alpha + \beta x + \gamma x^2 + \delta x^3)\frac{d^3y}{dx^3} - (\beta + 2\gamma x + 3\delta x$$

$$+ (2\gamma + 6\delta x)\frac{dy}{dx} -$$

SCHOLION

64. Progrediamur ergo ad formulas ordinis secundi, cum reductioni e
quae sunt primi ordinis, iam tantum simus immorati, quantum q
profectus in hac methodo facti adhuc permiserunt. Quoniam vero ad or
secundum eas retulimus formulas, in quibus utriusque variabilis x et y
rentialia dx et dy insunt, eae sine dubio sunt simplicissimae, in quibus
bina differentialia plus una dimensione non obtinent, cuiusmodi in gene
haec formula

$$\int(Vdx + Zdy),$$

ubi V et Z sint functiones quaecunque ipsarum x et y. Nam si unicum
differentiale dy, quanquam inde posito $dy = pdx$, littera p in funct
ingreditur, tamen manifestum est, binas variabiles x et y esse commuta
atque formulas $\int Zdy$ perinde tractari posse, ac $\int Zdx$. Quibus ergo c
huiusmodi formulis

$$\int(Vdx + Zdy)$$

valores algebraicos conciliare potuerim, explicabo.

algebraicam inter x et y, ut haec formula

$$\int (Vdx + Zdy)$$

algebraicum obtineat valorem.

SOLUTIO

I. Dispiciatur primo, utrum altera pars

$$\int Vdx \quad \text{vel} \quad \int Zdy$$

per lemma reduci possit, ut fiat

vel $$\int Vdx = P - \int Qdy$$
vel $$\int Zdy = R - \int Sdx.$$

Si alterum enim succedit, solutio erit facilis: priori enim casu h

$$\int (Vdx + Zdy) = P + \int (Z - Q)\, dy,$$

posteriori vero

$$\int (Vdx + Zdy) = R + \int (V - S)\, dx.$$

Utravis autem haec formula nullam habet difficultatem per problema

II. Si hoc modo reductio inveniri nequeat, indagetur functio al
ipsarum x et y, quae sit $= P$, ut

$$\frac{Vdx + Zdy}{P}$$

fiat differentiale functionis cuiuspiam algebraicae Q ipsarum x et y,
casu fiet

$$\int (Vdx + Zdy) = \int PdQ,$$

quae formula nulla difficultate ad integrabilitatem perducitur per pro

III. Saepe etiam huiusmodi functio algebraica ipsarum x et
inveniri potest, cuius differentiali existente $= Pdx + Qdy$, si ponatu

$$\int (Vdx + Zdy) = T + \int (V - P)\, dx + (Z - Q)\, dy,$$

ut haec formula modo vel primo, vel secundo reductionem admittat.

IV. Interdum quoque iuvabit, in locum unius vel ambarum va
x et y unam duasve novas t et u introducere, ponendis x et y aequali

onibus quibuspiam harum duarum novarum variabilium t et u, ita ut
bstitutione formula huiusmodi obtineatur

$$\int(V\,dx + Z\,dy) = \int(P\,dt + Q\,du),$$

bi iam P et Q sunt functiones ipsarum t et u, quae aliquo expositorum m
um reductionem admittat.

V. Casus adhuc singularis est memorandus, quo V et Z sunt funct
omogeneae ipsarum x et y eiusdem ambae numeri dimensionum, qui sit
osito enim $y = tx$ fiet

$$V = Px^n \text{ et } Z = Qx^n,$$

xistentibus P et Q functionibus ipsius t. Tum ob

$$dy = t\,dx + x\,dt$$

rmula proposita transibit in hanc

$$\int(Px^n dx + Qtx^n dx + Qx^{n+1}dt),$$

$$\int(P + Qt)\,x^n dx = \frac{1}{n+1}(P + Qt)\,x^{n+1} - \frac{1}{n+1}\int x^{n+1}d\,(P + Qt),$$

ndo reductio revocatur ad huiusmodi formam

$$\int x^{n+1}S\,dt,$$

si sit $n = -1$, existente S functione ipsius t.

SCHOLION

66. Sufficiat has operationes in genere explicasse, quoniam exempla, q
sum quempiam memorabilem habere videantur, non succurrunt. Inte
mon notandum est, plurima exempla proponi posse, quae vel difficu
el plane non, per ullam harum operationum reduci queant. Cuiusmodi
relatio inter x et y quaerenda sit, ut haec formula integralis $\int\Big(\frac{y\,dx}{x} +$
lorem algebraicum obtineat, neque enim video, quomodo huic quaest
tisfaciendum sit. Quamobrem multo minus talia attingo problemata
ibus duae pluresve huiusmodi formulae ad integrabilitatem perduci debe
que etiam formulas superiorum ordinum generaliter pertractare lice
aeter casum in sequenti problemate contentum.

quantitates finitae x et y in eam non ingrediantur, ad integrabil
hanc formulam $\int Zdx$.

SOLUTIO

Cum formula differentialis Zdx ita sit comparata, ut prae
constantes nonnisi differentialia dx et dy contineat, quae p
dimensionem adimplebunt, cuiusmodi sunt hae formulae:

$$\frac{dy^2}{dx}; \quad \sqrt{(adx^2 + bdxdy + cdy^2)}; \quad \frac{adx^2 + bdy^2}{\sqrt{(dx^2 + dy^2)}} \quad \text{et}$$

ponatur $dy = pdx$, atque formula proposita $\int Zdx$ induet
$\int Pdx$, ita ut P fiat functio quantitatis p tantum, neque x neq
Efficiendum ergo erit, ut non solum haec formula $\int Pdx$, sed etiam
haec $\int pdx$, algebraicum nanciscatur valorem, quod per problem
modo praestabitur. Cum enim sit

$$\int Zdx = \int Pdx = Px - \int xdP$$
$$y = \int pdx = px - \int xdp,$$

fiat primo

$$\int xdP = M \quad \text{et} \quad \int xdp = N$$

eritque

$$x = \frac{dM}{dP} = \frac{dN}{dp},$$

unde fit

$$\frac{dP}{dp} = \frac{dM}{dN},$$

et quia $\frac{dP}{dp}$ est functio ipsius p, inde valor ipsius p erui deb
habebitur

$$x = \frac{dM}{dP} \quad \text{seu} \quad x = \frac{dN}{dp},$$

ac deinceps

$$y = px - N,$$

qui valores praebebunt

$$\int Zdx = Px - M.$$

Pro altera solutione ponatur

$$\int xdP = M,$$

$$\int x dp = \int \frac{dp}{dP}\cdot dM = M\cdot\frac{dp}{dP} - \int M d\cdot\frac{dp}{dP}.$$

onatur $\int Md\cdot\frac{dp}{dP} = R$ functioni ipsius p cuicunque, ac reperietur

$$M = dR : d\cdot\frac{dp}{dP},$$

lore ipsius M invento prodibit porro:

$$x = \frac{dM}{dp};\ y = px - \frac{Mdp}{dP} + R,$$

it

$$\int Zdx = Px - M.$$

natur

$$\int xdp = N.$$

$= \frac{dN}{dp}$ fiet

$$\int xdP = \int dN\cdot\frac{dP}{dp} = N\cdot\frac{dP}{dp} - \int Nd\cdot\frac{dP}{dp}.$$

$$\int Nd\cdot\frac{dP}{dp} = S,$$

$$N = dS : d\cdot\frac{dP}{dp};$$

e

$$x = \frac{dN}{dp} \text{ et } y = px - N,$$

ons efficitur

$$\int Zdx = Px - \frac{NdP}{dp} + S.$$

COROLLARIUM

. Simili modo solutio exhiberi poterit, si duae pluresve huiusmo ae $\int Zdx$ proponantur, quibus valores algebraici conciliari debean enim $dy = pdx$, praeter hanc formulam $\int pdx$, duae pluresve huiu $\int Pdx$, $\int Qdx$ etc., ubi P et Q etc. sint functiones ipsius p, integrabil fficiendae, quod per methodos supra traditas facile praestatur.

69. Ut igitur finem huic disquisitioni imponam, eximium e
solvendis praecipuis huius generis problematibus, quae quidem
agitata, ostendam. Versantur autem haec problemata potissimum
rectificabiles algebraicas, quamobrem ex methodis hactenus tr
derivabo regulas, quarum ope tot, quot lubuerit, curvas algebrai
biles reperire liceat, unde simul patebit, quomodo eiusmodi curva
sint inveniendae, quarum integratio a data pendeat quadratura, i
problemata, quae ope cuiuspiam quadraturae sint constructa
rectificationem curvae algebraicae expediri possint. Tum vero n
difficile eiusmodi curvas algebraicas exhibere, quarum rectificatio
data quadratura pendeat, quae tamen nihilo minus unum p
praecise tot, quot lubuerit, habeant arcus definitos algebraice
Denique solutionem mei illius problematis de duabus curvis, in qu
communi abscissae respondentium summa fiat algebraica, ex l
deducam.

PROBLEMA 17

70. Invenire curvas algebraicas rectificabiles, seu quarum
algebraice exhiberi queant.

SOLUTIO

Sint curvae coordinatae orthogonales x et y, arcusque his
respondens $= z$. Primo igitur quaeritur aequatio algebraica in
deinde valor ipsius z inde emergens debet esse algebraicus. Cu
$z = \int \surd(dx^2 + dy^2)$, haec formula integrabilis erit reddenda, qu
bus modis praestabitur.

I. Ponatur $dy = pdx$, atque hae duae formulae

$$y = \int pdx \quad \text{et} \quad z = \int dx \surd(1 + pp)$$

algebraicae sunt reddendae. Cum igitur sit

$$y = px - \int xdp$$

$$z = x\surd(1 + pp) - \int \frac{xpdp}{\surd(1 + pp)},$$

sumantur novae cuiusdam variabilis u functiones quaecunque
P et Q, ponaturque

$$x = \frac{dP}{dp} = \frac{dQ\sqrt{(1+pp)}}{pdp},$$

$$pdP = dQ\sqrt{(1+pp)},$$

$$p = \frac{dQ}{\sqrt{(dP^2 - dQ^2)}}.$$

ergo p per functionem quandam ipsius u, quae ob

$$\frac{dP}{du} \text{ et } \frac{dQ}{du} \text{ ideoque } \frac{dP}{dQ}$$

tes algebraicas, ipsa erit algebraica

$$p = \frac{dQ}{\sqrt{(dP^2 - dQ^2)}},$$

habebitur porro:

$$x = \frac{dP}{dp}, \quad y = px - P, \quad \text{et } z = x\sqrt{(1+pp)} - Q.$$

$$Q = u \text{ et } P = V,$$

posito du constante est

$$dp = \frac{-du\,dV\,ddV}{(dV^2 - du^2)^{\frac{3}{2}}},$$

$$p = \frac{du}{\sqrt{(dV^2 - du^2)}}$$

ur:

$$x = \frac{-(dV^2 - du^2)^{\frac{3}{2}}}{du\,ddV}$$

$$y = \frac{-(dV^2 - du^2)}{ddV} - V$$

$$z = \frac{-dV(dV^2 - du^2)}{du\,ddV} - u.$$

ut V sit functio quaecunque ipsius u, ob

$$p = \frac{dV}{\sqrt{(du^2 - dV^2)}} \text{ et } dp = \frac{du^2 ddV}{(du^2 - dV^2)^{\frac{3}{2}}}$$

posito du constante, erit

$$x = \frac{(du^2 - dV^2)^{\frac{3}{2}}}{duddV}$$

$$y = \frac{dV(du^2 - dV^2)}{duddV} - u$$

$$z = \frac{du^2 - dV^2}{ddV} - V.$$

II. Posito ut ante $dy = pdx$, sit

$$\int xdp = M, \text{ ideoque } x = \frac{dM}{dp},$$

unde fit

$$\int \frac{xpdp}{\sqrt{(1+pp)}} = \int \frac{pdM}{\sqrt{(1+pp)}} = \frac{pM}{\sqrt{(1+pp)}} - \int \frac{Mdp}{(1+pp)^{\frac{3}{2}}}$$

Ponatur

$$\int \frac{Mdp}{(1+pp)^{\frac{3}{2}}} = P$$

functioni cuicunque ipsius p, fietque

$$M = \frac{dP}{dp}(1+pp)^{\frac{3}{2}},$$

unde erit porro

$$x = \frac{dM}{dp}, \; y = px - M$$

et

$$z = x\sqrt{(1+pp)} - \frac{Mp}{\sqrt{(1+pp)}} + P.$$

Seu posito dp constante ob

$$dM = \frac{ddP}{dp}(1+pp)^{\frac{3}{2}} + 3pdP\sqrt{(1+pp)}$$

t:

$$x = \frac{ddP}{dp^2}(1+pp)^{\frac{3}{2}} + \frac{3pdP}{dp}\sqrt{(1+pp)}$$

$$y = \frac{pddP}{dp^2}(1+pp)^{\frac{3}{2}} + \frac{(2pp-1)dP}{dp}\sqrt{(1+pp)}$$

$$z = \frac{ddP}{dp^2}(1+pp)^2 + \frac{2p(1+pp)dP}{dp} + P.$$

III. Sit

$$\int \frac{xpdp}{\sqrt{(1+pp)}} = N, \quad \text{erit} \quad x = \frac{dN\sqrt{(1+pp)}}{pdp},$$

eoque

$$\int xdp = \int \frac{dN}{p}\sqrt{(1+pp)} = \frac{N}{p}\sqrt{(1+pp)} + \int \frac{Ndp}{pp\sqrt{(1+pp)}}.$$

natur

$$\int \frac{Ndp}{pp\sqrt{(1+pp)}} = P$$

ictioni ipsius p, eritque

$$N = \frac{ppdP\sqrt{(1+pp)}}{dp},$$

quo valore erit porro:

$$= \frac{dN\sqrt{(1+pp)}}{pdp}, \; y = px - \frac{N}{p}\sqrt{(1+pp)} - P \text{ et } z = x\sqrt{(1+pp)} -$$

sito autem dp constante ob

$$dN = \frac{ppddP}{dp}\sqrt{(1+pp)} + \left(\frac{pdP(2+3pp)}{\sqrt{(1+pp)}}\right)$$

.:

$$x = \frac{pddP(1+pp)}{dp^2} + \frac{dP(2+3pp)}{dp}$$

$$y = \frac{ppddP(1+pp)}{dp^2} + \frac{pdP(1+2pp)}{dp} - P$$

$$z = \frac{pddP(1+pp)^{\frac{3}{2}}}{dp^2} + \frac{2dP(1+pp)^{\frac{3}{2}}}{dp}.$$

IV. Ponatur

$$dy = \frac{dx(qq-1)}{2q}, \quad \text{erit} \quad dz = \frac{dx(qq+1)}{2q}.$$

Hinc fit

$$z + y = \int q\,dx \quad \text{et} \quad z - y = \int \frac{dx}{q};$$

duae ergo hae formulae integrabiles sunt reddendae. Ponatur

$$\int q\,dx = qx - \int x\,dq = qx - M$$

$$\int \frac{dx}{q} = \frac{x}{q} + \int \frac{x\,dq}{qq} = \frac{x}{q} + N,$$

ut sit

$$x = \frac{dM}{dq} = \frac{qq\,dN}{dq};$$

ergo

$$q = \sqrt{\frac{dM}{dN}}.$$

Sint iam M et N functiones quaecunque ipsius u, et ob

$$dq = \frac{dN\,ddM - dM\,ddN}{2\,dN\sqrt{dM\,dN}}$$

erit:

$$x = \frac{2\,dM\,dN\sqrt{dM\,dN}}{dN\,ddM - dM\,ddN}$$

$$z + y = \frac{2\,dM^2\,dN}{dN\,ddM - dM\,ddN} - M$$

$$z - y = \frac{2\,dM\,dN^2}{dN\,ddM - dM\,ddN} + N,$$

ergo

$$y = \frac{dM\,dN\,(dM - dN)}{dN\,ddM - dM\,ddN} - \frac{M + N}{2}$$

et

$$z = \frac{dM\,dN\,(dM + dN)}{dN\,ddM - dM\,ddN} - \frac{M - N}{2}.$$

V. Iisdem positis fiat $\int x\,dq = M$, ut sit

$$\int q\,dx = qx - M,$$

erit

$$x = \frac{dM}{dq}, \quad \text{et} \quad \int \frac{dx}{q} = \frac{x}{q} + \int \frac{dM}{qq} = \frac{x}{q} + \frac{M}{qq} + 2\int \frac{M\,dq}{q^3}.$$

Iam sit

$$\int \frac{M\,dq}{q^3} = Q, \quad \text{ideoque} \quad M = \frac{q^3\,dQ}{dq},$$

$$dM = \frac{q^3 ddQ}{dq} + 3qq\,dQ,$$

$$x = \frac{q^3 ddQ}{dq^2} + \frac{3qq\,dQ}{dq}$$

$$z + y = \frac{q^4 ddQ}{dq^2} + \frac{2q^3 dQ}{dq}$$

$$z - y = \frac{qq\,ddQ}{dq^2} + \frac{4q\,dQ}{dq} + 2Q$$

uo propterea

$$y = \frac{qq(qq-1)\,ddQ}{2dq^2} + \frac{q(qq-2)\,dQ}{dq} - Q$$

$$z = \frac{qq(qq+1)\,ddQ}{2dq^2} + \frac{q(qq+2)\,dQ}{dq} + Q.$$

I. Vel fiat

$$\int \frac{x\,dq}{qq} = N,$$

abeatur

$$x = \frac{qq\,dN}{dq} \text{ et } \int x\,dq = \int qq\,dN = qqN - 2\int Nq\,dq.$$

ponatur

$$\int Nq\,dq = Q$$

tento Q functione quacunque ipsius q, atque erit

$$N = \frac{dQ}{q\,dq}, \; dN = \frac{ddQ}{q\,dq} - \frac{dQ}{qq},$$

$$x = \frac{q\,ddQ}{dq^2} - \frac{dQ}{dq}; \quad \text{et} \quad \int x\,dq = \frac{q\,dQ}{dq} - 2Q,$$

do fiet

$$z + y = \frac{qq\,ddQ}{dq^2} - \frac{2q\,dQ}{dq} + 2Q$$

$$z - y = \frac{ddQ}{dq^2}.$$

Quamobrem nanciscemur has formulas

$$x = \frac{q\,ddQ}{dq^2} - \frac{dQ}{dq}$$

$$y = \frac{(qq - 1)\,ddQ}{2dq^2} - \frac{qdQ}{dq} + Q$$

$$z = \frac{(qq + 1)\,ddQ}{2dq^2} - \frac{qdQ}{dq} + Q\,.$$

VII. Ad alias formulas inveniendas ponamus:

$$dx = 2p\,du\,,\ dy = du\,(pp - 1)\ \text{et}\ dz = du\,(pp + 1$$

eritque:

$$x = 2\int p\,du,\quad y + z = 2\int pp\,du,\quad z - y = 2\,u,$$

ergo quaestio ad has duas formulas reducitur:

$$\int p\,du = pu - \int u\,dp,\quad \int pp\,du = ppu - 2\int up\,d$$

Sit nunc

$$\int u\,dp = M \quad \text{et} \quad \int up\,dp = N,$$

erit:

$$u = \frac{dM}{dp} = \frac{dN}{pdp},$$

ideoque

$$p = \frac{dN}{dM} \quad \text{et} \quad dp = \frac{dMddN - dNddM}{dM^3}\,,$$

unde

$$u = \frac{dM^3}{dMddN - dNddM} = \frac{z - y}{2}.$$

Porro est

$$\int p\,du = \frac{x}{2} = \frac{dM^2\,dN}{dMddN - dNddM} - M,$$

et

$$\int pp\,du = \frac{z + y}{2} = \frac{dMdN^2}{dMddN - dNddM} - 2\,N;$$

ergo

$$x = \frac{2dM^2dN}{dMddN - dNddM} - 2M,\quad y = \frac{dM\,(dN^2 - dM^2)}{dMddN - dNddM}$$

atque

$$z = \frac{dM\,(dN^2 + dM^2)}{dMddN - dNddM} - 2\,N.$$

$$x = \frac{2\,dMdN}{ddN} - 2M$$

$$y = \frac{dN^2 - dM^2}{ddN} - 2N$$

$$z = \frac{dN^2 + dM^2}{ddN} - 2N.$$

VIII. In praecedente solutione ponatur, ut ante

$$\int u\,dp = M \quad \text{seu} \quad u = \frac{dM}{dp}$$

et

$$\int up\,dp = \int p\,dM = pM - \int M\,dp.$$

am sit

$$\int M\,dp = P, \quad \text{erit} \quad M = \frac{dP}{dp} \quad \text{et} \quad dM = \frac{ddP}{dp}$$

ndo fit

$$u = \frac{ddP}{dp^2},$$

tque porro:

$$\tfrac{1}{2}x = \frac{p\,ddP}{dp^2} - \frac{dP}{dp}, \quad \frac{z-y}{2} = \frac{ddP}{dp^2}$$

t

$$\frac{z+y}{2} = \frac{pp\,ddP}{dp^2} - \frac{2p\,dP}{dp} + 2P$$

incque elicimtur istae formulae:

$$x = \frac{2p\,ddP}{dp^2} - \frac{2dP}{dp}$$

$$y = \frac{(pp-1)\,ddP}{dp^2} - \frac{2p\,dP}{dp} + 2P$$

$$z = \frac{(pp+1)\,ddP}{dp^2} - \frac{2p\,dP}{dp} + 2P.$$

IX. Loco praecedentis operationis fiat

$$\int up\,dp = N, \text{ seu } u = \frac{dN}{p\,dp},$$

ritque

Iam sit

$$\int \frac{Ndp}{pp} = P,$$

fietque

$$N = \frac{ppdP}{dp} \quad \text{et} \quad dN = \frac{ppddP}{dp} + 2pdP$$

unde

$$u = \frac{pddP}{dp^2} + \frac{2dP}{dp} = \frac{z-y}{2};$$

at erit

$$\frac{z+y}{2} = \frac{p^3ddP}{dp^2} \quad \text{et} \quad \tfrac{1}{2}x = \frac{ppddP}{dp^2} + \frac{pdP}{dp} -$$

ergo

$$x = \frac{2ppddP}{dp^2} + \frac{2pdP}{dp} - 2P$$

$$y = \frac{p(pp-1)ddP}{dp^2} - \frac{2dP}{dp}$$

$$z = \frac{p(pp+1)ddP}{dp^2} + \frac{2dP}{dp}.$$

COROLLARIUM 1

71. Si rectificatio curvae non debeat esse algebraica, se pendere, hoc ope regulae primae ac secundae facile pra enim regula pro V eiusmodi capiatur [posito $P = u$ et Q cendens ipsius u, quae datam quadraturam puta $\int Udu$ in $\frac{dV}{du}$ fiat quantitas algebraica, si secunda regula uti velim functio transcendens ipsius p accipi debet.

COROLLARIUM 2

72. Utravis autem regula adhibeatur, id facile expec blematis 2 ut curvae rectificatio indefinita non solum a data sed ut in eadem curva tot, quot lubuerit, extent arcus algebraice exprimi queat.

SCHOLION

73. En ergo novem formulas specie quidem diversas, braicae, rectificabiles, continentur, verumtamen quaelib

invicem reducuntur. Ita solutio quarta ad primam reducitur ponendo

$$M = u + V \quad \text{et} \quad N = u - V.$$

si in sexta ponatur

$$Q = Qqq,$$

itur ad quintam. De his autem solutionibus notandum est, ex singulis em finitam seu finitis quantitatibus expressam inter tres quantitates z reperiri posse, cum differentialia inde eliminari queant, pro singulis olutionibus hae relationes finitae ita se habebunt:

I. dat $(z + V)^2 = x^2 + (y + u)^2$
II. dat $z\sqrt{(1 + pp)} = x + py + P\sqrt{(1 + pp)}$
III. dat $z\sqrt{(1 + pp)} = x + py + Pp$
IV. dat $(z + y + M)\ (z - y - N) = xx$
V. dat $z(1 + qq) = 2qx + (qq - 1)y + 2Qqq$
VI. dat $z(1 + qq) = 2qx + (qq - 1)y + 2Q$
VII. dat $(z + y + 4N)\ (z - y) = (x + 2M)^2$
VIII. dat $(pp + 1)z = 2px + (pp - 1)y + 4P$
IX. dat $(pp + 1)z = 2px + (pp - 1)y + 4Pp$

tet solutiones II et III in unam coalescere, si in secunda ponatur

$$P = \frac{R}{\sqrt{(1 + pp)}},$$

ortia

$$P = \frac{R}{p};$$

m prodit haec solutio simplicior:

$$x = \frac{(1 + pp)ddR}{dp^2} + \frac{pdR}{dp} - R$$

$$y = \frac{p(1 + pp)ddR}{dp^2} - \frac{dR}{dp}$$

$$z = \frac{(1 + pp)^{\frac{3}{2}}ddR}{dp^2}$$

ut tantum remaneant 4 solutiones quae pro diversis haberi queant:

(I, IV), (II, III), (V, VI, VIII, IX) et (VII).

...atuor igitur has solutiones principales hic conspectui exponere conver...
...nis earum ita paramper immutatis, ut in singulis sit P functio quaecun...
...us p.

SOLUTIO I

$$x = \frac{(dp^2 - dP^2)^{\frac{3}{2}}}{dpddP}$$

$$y = \frac{dP(dp^2 - dP^2)}{dpddP} - p$$

$$z = \frac{dp^2 - dP^2}{ddP} - P$$

$$(z + P)^2 = x^2 + (y + p)^2.$$

SOLUTIO II[1])

$$x = \frac{dpdP}{ddP} - p$$

$$y = \frac{dP^2 - dp^2}{2ddP} - P$$

$$z = \frac{dP^2 + dp^2}{2ddP} - P$$

$$(z + P)^2 = (x + p)^2 + (y + P)^2$$

SOLUTIO III

$$x = \frac{(1 + pp)ddP}{dp^2} + \frac{pdP}{dp} - P$$

$$y = \frac{p(1 + pp)ddP}{dp^2} - \frac{dP}{dp}$$

$$z = \frac{(1 + pp)^{\frac{3}{2}}ddP}{dp^2}$$

$$z\sqrt{(1 + pp)} = x + py + P$$

1) Haec solutio coalescet in solutionem VII, quae sequuntur coalescent in solutiones II...
M.

SOLUTIO IV

$$x = \frac{pddP}{dp^2} - \frac{dP}{dp}$$

$$y = \frac{(pp-1)ddP}{2dp^2} - \frac{pdP}{dp} + P$$

$$z = \frac{(pp+1)ddP}{2dp^2} - \frac{pdP}{dp} + P$$

$$(pp+1)z = 2px + (pp-1)y + 2P.$$

igitur, si pro P functiones simpliciores ipsius p substituantur, cur
raicae simpliciores, quae sunt rectificabiles, obtinebuntur, ac paraboli
m ex III erui observo, si ponatur $P = A + Bp^2 + Cp^4 + Dp^6 +$
efficientes debite determinentur.

PROBLEMA 18

4. Invenire duas curvas algebraicas ad eundem axem relatas, quar
sque rectificatio a data quadratura pendeat, ita ut tamen utriusc
m eidem abscissae respondentium summa algebraice exhiberi queat[1]

SOLUTIO

Sit abscissa communis $= x$,
ius curvae applicata $= y$, arcus $= z$;
ltera curva sit applicata $= u$, et arcus $= w$.
tur $dy = pdx$, et $du = qdx$, eritque

pro curva I	pro curva II
$y = px - \int xdp$	$u = qx - \int xdq$
$z = x\sqrt{(1+pp)} - \int \frac{xpdp}{\sqrt{(1+pp)}}$	$w = x\sqrt{(1+qq)} - \int \frac{xqdq}{\sqrt{(1+qq)}}$

se est ergo primo, ut formulae $\int xdp$ et $\int xdq$ valores nanciscantur al
s, deinde ut summa arcuum $z + w$ sit pariter algebraica, tertio
ue arcus seorsim sumtus, vel, quod eodem redit, arcuum differentia $z -$
a quadratura pendeat.

1) Vide L. EULERI Commentationem 48 indicis *Enestroemiani*; p. 76 huius voluminis. H. .

$$\sqrt{(1+pp)} - \sqrt{(1+qq)} = s$$

ut sit

$$y = px - \int x dp, \quad u = qx - \int x dq$$

$$z = \frac{x(r+s)}{2} - \tfrac{1}{2}\int x(dr+ds), \quad w = \frac{x(r-s)}{2} - \tfrac{1}{2}\int x(dr -$$

$$z + w = xr - \int x dr$$

$$z - w = xs - \int x ds$$

Efficiendum ergo est, ut hae tres formulae:

$$\int x dp, \ \int x dq \ \text{ et } \ \int x dr \text{ fiant algebraicae,}$$

simulque ut formula $\int x ds$ a data quadratura pendeat. Ad hoc po

$$\int x dp = L, \text{ erit } x = \frac{dL}{dp},$$

et

$$\int x dq = \int dL \cdot \frac{dq}{dp} = \frac{L dq}{dp} - \int L d \cdot \frac{dq}{dp}$$

$$\int x dr = \int dL \cdot \frac{dr}{dp} = \frac{L dr}{dp} - \int L d \cdot \frac{dr}{dp}$$

$$\int x ds = \int dL \cdot \frac{ds}{dp} = \frac{L ds}{dp} - \int L d \cdot \frac{ds}{dp}.$$

Iam ponatur

$$\int L d \cdot \frac{dq}{dp} = M, \quad \text{seu} \quad L = \frac{dM}{d \cdot \frac{dq}{dp}}$$

erit

$$\int L d \cdot \frac{dr}{dp} = \int dM \frac{d \cdot \frac{dr}{dp}}{d \cdot \frac{dq}{dp}} = M \frac{d \cdot \frac{dr}{dp}}{d \cdot \frac{dq}{dp}} - \int M d \cdot \frac{d \cdot \frac{dr}{dp}}{d \cdot \frac{dq}{dp}}$$

et

$$\int L d \cdot \frac{ds}{dp} = \int dM \frac{d \cdot \frac{ds}{dp}}{d \cdot \frac{dq}{dp}} = M \frac{d \cdot \frac{ds}{dp}}{d \cdot \frac{dq}{dp}} - \int M d \cdot \frac{d \cdot \frac{ds}{dp}}{d \cdot \frac{dq}{dp}}.$$

$$\frac{d\cdot\frac{dr}{dp}}{d\cdot\frac{dq}{dp}}=\mu \text{ et } \frac{d\cdot\frac{ds}{dp}}{d\cdot\frac{dq}{dp}}=\nu$$

it

$$\int Ld\cdot\frac{dr}{dp}=M\mu-\int Md\mu$$

$$\int Ld\cdot\frac{ds}{dp}=M\nu-\int Md\nu.$$

erest, ut formula $\int Md\mu$ reddatur algebraica, altera vero $\int Md\nu$ a da
dratura pendeat. Sit ergo

$$\int Md\mu=N \quad \text{seu} \quad M=\frac{dN}{d\mu},$$

$$\int Md\nu=\int dN\frac{d\nu}{d\mu}=N\frac{d\nu}{d\mu}-\int Nd\cdot\frac{d\nu}{d\mu}.$$

iam P eiusmodi functio trancendens, quae datam quadraturam involva
ponatur:

$$\int Nd\cdot\frac{d\nu}{d\mu}=P, \text{ ut sit } N=\frac{dP}{d\cdot\frac{d\nu}{d\mu}},$$

valore in praecedentibus formulis substituto reperientur binae curvae alg
ione quaesito satisfacientes. Sumatur scilicet pro q functio quaecunq
us p, ita ut r et s fiant functiones ipsius p, eruntque etiam μ et ν function
us p; quare pro P capi debebit functio transcendens ipsius p, quae quide
positam quadraturam involvat, hocque modo N dabitur per P, unde dei
s utraque curva definietur. Hinc autem cum $\frac{d\mu}{d\nu}$ sit functio ipsius p, a
tio exhiberi poterit.

Scilicet ponatur:

$$\int Md\mu=R \quad \text{et} \quad \int Md\nu=S,$$

ut R sit functio algebraica, S vero datam quadraturam includat, eritq

$$M=\frac{dR}{d\mu}=\frac{dS}{d\nu}, \text{ unde fit } \frac{d\mu}{d\nu}=\frac{dR}{dS},$$

utraque curva invenientur.

SCHOLION

75. Haec iam sufficere videntur ad ostendendum quousque
cultura huius novae methodi adhuc pertingere licuit; neque d
specimina aliis ansam sint praebitura, vires suas ad hanc me
promovendam intendendi. Si enim methodus, quae Diophante
quondam ab excellentissimis ingeniis omni studio est exculta,
methodus, quae in quaestionibus longe sublimioribus versatu
tione digna non est aestimanda.

DE AEQUATIONIBUS DIFFERENTIALIBUS SECUNDI GRADUS

Commentatio 265 indicis ENESTROEMIANI

Novi Commentarii academiae scientiarum Petropolitanae 7 (1758/9), 1761, p. 163—202
Summarium ibidem p. 11—12

SUMMARIUM

Singularem atque omnino novam methodum, aequationes differentiales sec
adus tractandi, Auctor traditurus, statim observat, plurima atque adeo infinita ca
orum evolutio etiamnum in Mathesi desiderantur, ad Analysin ac potissimum
solutionem aequationum differentialium secundi gradus reduci. Quoties enim quae
partem quampiam Matheseos, uti vocari solet, applicatae suscipitur, eius enod
abus operationibus absolvitur, quarum alterius ex principiis isti parti propriis sol
aequationes analyticas revocentur, altera autem in harum aequationum resolut
nsumitur. Iam vero principia Mechanicae, seu Scientiae motus, tam solidorum, q
idorum, tum etiam *Astronomiae theoreticae*, ita sunt exculta, ut vix quaestio exc
ri possit, cuius solutionem non istorum principiorum beneficio ad aequationes analyti
sque ut plurimum differentiales secundi gradus, perducere liceat. Ex quo manifes
., praecipuam Matheseos perfectionem, quam quidem sperare licet, in huius
quationum resolutione esse quaerendam. Quam ob causam Cel. Auctor, cum
epius in hoc negotio vires suas exercuisset, ac varias methodos particulares, quae sae
usum vocari queant, in medium attulisset, hic omnino novam latissimeque paten
am ingreditur, istas aequationes tractandi, quae in hoc consistit, ut multiplic
vestigetur, in quem huiusmodi aequatio ducta fiat integrabilis: Quin etiam pronunt
n dubitat, cuiuscunque fuerit ordinis aequatio differentialis, semper eiusmodi m
entorem negotium conficientem dari, atque in hac dissertatione nonnulla huiusn
quationum genera, quae aliis methodis inaccessa videntur, hac methode feliciter
quationes differentiales primi gradus reduxit, neque ullum est dubium, quin haec me
s, si uberius excolatur, maxima incrementa in Analysin sit allatura.

quaestio determinatur, ad aequationes analyticas perduc
nem continere dicuntur, altera vero pars in ipsa harum aequ
occupatur. Si quaestio ad Mathesin mixtam, vel applicat
pars petenda est ex principiis, quibus ista disciplina Mat
huicque scientiae quasi est propria; pars autem posterior
puram est referenda, cum tota in resolutione aequation
quaestio, vel ex Mechanica, vel ex Hydrodynamica, vel ex
desumta, ex principiis cuique harum disciplinarum p
primum ad aequationes reduci oportet, tum vero istarum
lutio artificiis, quae quidem in Analysi comperta habem
quenda. Ex quo satis est manifestum, quanti sit momenti
Matheseos partes.

2. Principia autem fere omnium Matheseos applicat
sunt evoluta, ut nulla propemodum quaestio eo pertinens
solutio non aequationibus comprehendi queat. Sive en
aequilibrio, sive de motu corporum cuiuscunque indolis, t
fluidorum, cum ab aliis, tum a me, principia certissima su
ope semper ad aequationes pervenire licet: atque si corp
quibuscunque in se invicem agere statuantur, omnes pertu
in eorum motibus efficiuntur, non difficulter ad aequation
si has aequationes resolvere valeremus, nihil amplius su
scientiis desiderari posset. Quocirca omne studium, quod
tur, utilius impendi nequit, quam si in limitibus Ana
elaboremus.

3. Quoties autem problema ad Mathesin applicatam
rarissime in aequationes algebraicas incidimus, quarum r
dum ultra quartum gradum sit perducta, tamen ope a
exacte perfici potest, ut pro perfecta sit habenda. Perpet
vimur ad aequationes differentiales, et quidem maximam
tiales secundi ordinis; principia quippe mechanica statim
gradus implicant: ita ut sine Analyseos infinitorum subsi
scientiis praestari liceat. Cum autem in resolutione a
tialium primi gradus non admodum simus profecti, mul
dum, si aqua nobis haereat, quando quaestiones ad aequ

mitatae, ut certis tantum casibus, qui non admodum frequenter occurr... usum vocari queant. Huiusmodi autem regulas plures exposui in Commenta... cademiae Petropolitanae et Volumine VII. Miscellaneorum Berolinensiu...

4. Interim tamen iam saepius eiusmodi se mihi obtulerunt casus aeq... num differentialium secundi gradus, quas tametsi ope regularum illa... actare non licuerit, tamen aliunde earum integralia habuerim perspe... quo ulla via directa patebat, qua haec integralia erui possent. Huiusm... asus eo magis sunt notatu digni, quod comparatio illarum aequationum... is integralibus tutissimam viam patefacere videatur, earum resolution... r certas methodos perficiendi. In quo negotio, si eventus spem non fefell... llum est dubium, quin methodi hunc in finem detectae, multo latius pate... nostram facultatem, aequationes differentiales secundi gradus tracta... n mediocriter promoveant. Iis ergo, quos huiusmodi studia iuvant, gratum fore arbitror, si casus illos mihi oblatos commemoravero, ut o... onem inde adipiscantur, in hac parte Analysin amplificandi, tum vero ethodos exponam, quas horum casuum contemplatio mihi suppeditavit.

5. Primum huiusmodi exemplum mihi occurrit in Mechanicae meae[2]) T... pag. 465, ubi ad hanc perveni aequationem differentialem secundi grad...

$$2\,Bxddx - 4\,Bdx^2 = x^{n+6}dp^2\,(1+pp)^{\frac{n-1}{2}},$$

qua differentiale dp sumtum est constans. Eius autem integrale aliu... ihi constabat in hac forma contineri[3]):

$$x^{n+5}dp^2\,(1+pp)^{\frac{n+1}{2}} + Cds^3 = 0$$

xistente

$$ds^2 = (1+pp)\,dx^2 + 2\,pxdpdx + xxdp^2.$$

oterum etiam notare valorem huius constantis C esse $= -(n+1)\,B$. um temporis operam inutiliter perdidi in methodo directa indaganda, c...

1) L. Euleri Commentationes 10, 62, 188 indicis *Enestroemiani*; vide p. 1, 108, 181 ...luminis. H.

2) *Mechanica sive motus scientia analytice exposita*. Tom. I, Petrop. 1736, § 1085. Leon... uleri Opera omnia, series II, vol. 1, p. 393. H.

3) Vide § 13. H.

opo istam aequationem integralem ex illa differentiali ...
possem, neque ullum artificium cognitum huc deducere ...
notari convenit, integrale hic exhibitum tantum esse p...
continet quantitatem constantem ab arbitrio nostro p...
integrationem esset introducta, infra autem ostendam c...
adiici posse huiusmodi terminum Ex^4dp^2.

6. In aliud simile exemplum incidi in Opusculorum ...tione[1]) pag. 82, ubi motum corporum in superficiebus m...tatus: perveni autem in evolutione certi cuiusdam casus ... differentialem secundi gradus:

$$\frac{ddr}{r}+\frac{(F+Mkk)^2\,\theta^2 du^2}{(Mkkrr+F+2Gu+Huu)^2}= \ldots$$

ubi differentiale du sumtum est constans, litterae autem ... denotant quantitates constantes quascunque. Nullo ... aequationis integrale eruere poteram, aliunde autem no... esse:[2])

$$\frac{(F+Mkk)^2\,\theta^2 du^2}{Mkkrr+F+2Gu+Huu}+\frac{dr^2}{r^2}(F+2Gu+Huu)-\frac{2du\ldots}{r\ldots}$$
$$=\frac{Hdu^2}{r^2}+\frac{(F+Mkk)\,\theta^2 du^2}{rr},$$

quod quidem etiam est particulare, et quia tantopere es... minus patet, quomodo per integrationem ex illa ae... Deinceps vero monstrabo, hoc integrale completum ... $\frac{Hdu^2}{rr}$ adiiciatur $\frac{Cdu^2}{rr}$, ita ut C designet quantitatem ... quae in aequatione differentiali secundi gradus insunt, ...

7. Deinde etiam alia problemata tractans, perdu... aequationes differentiales secundi gradus, quarum int... condita videbatur. Veluti huius aequationis differential...

---

1) Commentatio 86 indicis *Enestroemiani*: *De motu corporum* ... Opuscula varii argumenti 1, 1746. LEONHARDI EULERI *Opera omnia*, series ...
2) Vide § 23.

to elemento ds constante, integrale particulare quidem inveni esse³):

$$rdr + nrds + nnsds = 0,$$

e quidem aequatio, quia binae variabiles r et s ubique earundem di...
um, per methodum a me olim exhibitam²), tractari posset. Porro quoq...
i obtulit haec aequatio differentio-differentialis:

$$ds^2 (\alpha ss + \beta s + \gamma) = rrdr^2 + 2 r^3 ddr$$

to elemento ds constante, cuius integrale completum deprehendi esse

